

Petrus de Vinea

*Ep. I 12 (Tenuit hactenus
indubitanter nostra fiducia...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. I 12 (Tenuit hactenus
indubitanter nostra fiducia...)*

3 maggio-20 giugno 1241

Rex Franciae imperatori, super liberatione prelatorum
regni Franciae captorum per ipsum

1. Tenuit hactenus indubitanter nostra fiducia, quod inter Imperium et Regnum nostrum longo tractatu temporis mutua dilectione firmata nulla posset exoriri materia odium et scandalum paritura. 2. Cum predecessores nostri felicitis memoriae reges uniuersi usque ad nostra tempora honorem Imperii et sublimitatem zelauerint, et nos, qui post ipsos Deo uolente regnamus, in eodem proposito tenebamur. 3. Necnon antiqui Romanorum imperatores et nostri proximi, unum et idem Regnum et Imperium reputantes, unitatem pacis et concordiae seruauerunt, et inter eos alicuius dissensionis scintillula non illuxit. 4. Verum admirari cogimur uehementer et non sine ratione turbari, quod, nulla offensionis causa uel materia precedente, prelatos Regni nostri ad Sedem Apostolicam accedentes, cui tam ex fide quam obedientia tenebantur, nec eius poterant recusare mandata, in mari capi fecistis et ipsos sub custodia detinetis, quod magis moleste ferimus quam maiestatis uestrae sublimitas forte credat. 5. Nam, sicut ex eorum litteris manifeste didicimus, nichil contra imperialem celsitudinem excogitauerant, etiamsi summus pontifex fuisset ad aliqua alia minus debite processurus: unde, cum in eis nulla detentionis causa inueniatur, deceret altitudinem uestram prelatos dicti Regni debitae restituere libertati, in quo nos et uos ipsos redderetis pacatos, qui detentionem ipsam iniuriam reputamus. 6. Et Regno sublimi multa fieret detractio, si super talibus taceremus: nam, si ad predicta mentis uestrae oculos uultis reflectere, Penestrinum episcopum et alios prelatos ac etiam legatos Ecclesiae, in preiudicium uestrum

uolentes apud nos subsidium implorare, manifeste reppulimus, nec in Regno nostro contra maiestatem uestram potuerunt aliquid impetrare uel etiam obtinere. 7. Prouideat igitur imperialis prouidentia et ponat in statera iudicii ea, quae scribimus, nec uelit trahere locum a potentia uel uoluntate: nam regnum Franciae non est adeo debilitatum in uiribus, quod se permittat uestris calcaribus perurgeri.